

idque de consecratione eucharistiæ seu Missarum A celebratione intelligatur. Sed neque hinc conficitur, oblationis ab episcopo consecratæ portiones per ecclesias ac titulos mittendi morem falso ad Melchiamdem ut ad ejus auctorem referri : cum in eodem libro Romani pontifices id interdum constituisse dicantur, non quod instituerint primi, sed quod dumtaxat confirmarint. Nam ut a Siricio non recedamus, secundum hunc librum, « constituit hæreticos sub manus impositione recipi et reconciliari, » quia epist. 4, ad Himer., cap. 1, confirmat, quod jam Stephanus traditionis auctoritate vindicarat.

28. Ut ut est, prædictum fermenti per ecclesias mittendi usum Innocentio antiquiorem esse constat ex his quæ idem papa epist. 25, ad Decentium, n. 8, scribit : « De fermento vero, quod die Dominico per B titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti : cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ. Quarum presbyteri, quia die ipsa propter plebem sibi creditam nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos. Quod per parochias (extra urbem constitutas) fieri debere non puto :

quia nec longe portanda sunt sacramenta. Nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus. » Unde apparet id, quod in libro Pontificali dicitur : « cujuslibet loci presbyteris, nisi consecratum episcopi susceperint, per hebdomadam, » Missas celebrare seu consecrare non licere, minime accuratum esse ; cum hoc non de quibuslibet, sed tantum de presbyteris in urbe constitutis, et quidem sola die Dominica, decretum sit. Præterea hunc usum ideo, ut presbyterorum cum episcopo suo communionis indicium esset, inductum esse Innocentius palam indicat. Hinc eucharistia sic missa cur fermenti nomine donata sit, satis intelligitur. Fermenti quippe vicem gerebat, quatenus ecclesias ad quas mittebatur, sicut fermentum massam cui commiscetur, cum episcopo suo in uno Christi corpore copulabat atque uniebat. Porro istam oblationis ab episcopis consecratæ particulam a presbyteris in calicem tunc missam esse, cum in Missa dicebant : « Pax Domini sit semper vobiscum, » hoc est, eo ipso tempore, quo etiam nunc hostiæ consecratæ minor particula in calicem a presbyteris demittitur ex antiquis glossis in Decretales a Mabillonio nostro, Analect. t. iv, pag. 60, citatis comperimus.

RHETICII, EPISCOPI ÆDUENSIS,

DICTIONUM DE BAPTISMO.

Rheticum (inquit S. Augustinus), ab Augustoduno episcopum, magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore episcopatus sui, gesta illa ecclesiastica, nobis indicant, quando in urbe Roma, Melchiade C apostolicæ sedis episcopo præsidente, cum aliis judex interfuit, Donatumque damnavit, qui prior auctor Donatistarum schismatis fuit, et Cæcilianum,

episcopum Ecclesiæ Carthaginensis, absolvit. Is, cum de baptismo ageret, ita locutus est :

« Hanc igitur principalem esse in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in qua antiqui criminis omne pondus exponimus, et ignorantiam nostræ facinora prisca debemus, ubi et veterem hominem cum ingenitis sceleribus exuimus. »

ANONYMI

CARMEN

DE LAUDIBUS DOMINI.

Quis queritur sera virtutis dote juvari?
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis sine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod sæcula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem,
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes.

D Conjugium memini ^a summa pietate fideque :
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris.
Et votum anobis, socium præcedere morte,
Mœrorique pio curam mandare sepulcri :
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir sollicitus largo jubet ore cavari,
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa :
Suscipies veniens, æternaque fœdera junges ;
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,

^a Celebrat auctor conjugium S. Rheticii, qui deinceps ad episcopatum Augustodunensem fuit eve-

tus. Qua de re Gregorius Turonensis lib. *de Glor. Confessor.*, cap. 72.

Post præcepta Dei, bustum commune levaret.
Sensit vota sui conjux præsaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula castis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ,
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,
Jungendus sociæ prospecta sede maritus.

Postquam morte viri reserata est janua leti,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit:
Deprænsa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.

Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?

Tu facis hæc, tu Christe Deus, tua signa moventur,
Paulatimque doces sopita resurgere membra:
Tu quem venturum sancti cecinere prophetæ,
Incorrupta Dei soboles, rectorque regentis,
Quo sine nil magnum genitor deliberat ingens.
Cujus ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt littora fluctus:
Qui vario stabilem dotasti munere terram
In nostros usus, largus pietate paterna.
Te vade, mortales committunt semina sulcis,
Et novus arenis procedit cespitem partus.
Tu manare jubes secundo nectare vites:
Tu gratos epulis hominum, medicosque saluti
Arboribus succos; tu tradis dulcia mella.
Tu servire jubes homini genus omne animantum,
Insuper et gravibus lucos curvoscere pomis,
Atque novos reditus nullo de semine nasci.
Tu varios amnes nostro prodesse labori,
Et renovare sacris benedictum fontibus ævum.
Te duce velivolis patuerunt æquora rostris,
Divisosque fretis lustravit navita portus.

Tu postquam certis sunt acta elementa figuris,
Ne torpere rudi cœlestis machina vultu
Inciperet, vario signasti munere mundum:
Et quidquid cœlo radiat, tua dextera finxit.
His aula Domini placuit contextere signis.
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Assiduamque alacer numeraret navita portum:
Crebra satis tumido defigitur insula ponto;
Nec tamen insano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis inuitens orbe resistit,
Te duce confidens; ejus venerabile pactum
Nexum lege pari summumque inumque peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transcendere fines.
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,
Vitibus aptandos jussisti assurgere colles
Grandibus, et largos umbracula texere lucos.
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,
Innumeros fetus proceris tu saltibus addis:
Incola ne nemori, neu desit præda petenti.
Tum volucres multas, tum mille examina vocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris:
Sic annum placuit variis intexere formis,

A Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,
Neu brevis invisum raperet nascentibus ignem.
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
Dat requiem fessis hominum nox roscida curis:
Utque humana salus securum duceret ævum,
Sponte salutare de cespitem surgitis herbæ.
Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.

Non ego ferrato tegerer si viscera muro,
Ferreæ vox linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam vestræ pietatis obire.

Sed Pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam visu facilis, cunctisque tremendus
Te misit Dominum terris vitæque magistrum.
Et quisquis natum justo veneratur honore,

B Ambobus sua vota dicat vitamque perennem.
Tu casti rectique tenax, et flectere leges
Post crimen facilis, si quem vecordia præceps
Depulit a vobis præscripto limite vitæ.

Te genitor nostra, paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membrisque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere visus,
Si talem trepidis voluisset sistere terris,
Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,
Præsentemque jubes directa pavescere pœnam:
Vel cum placatus, campis sitientibus imbres
Dividis, et dubias sulcis producis aristas?

Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem,
C Ne procul ex utero contagio turpis abesset.

Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis servare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.
Atque ut missa Deo penitus præcepta paterent,
Imperium tu morti adimis, morboque soluto
Desperata jubes apprehendere munia vitæ,
Restituisque diem cæcis: et ne quid inausum
Restaret penitus, quod perfidus error obiret,
Indicis sensum tumulis, et condita pridem
Membra jubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscentque suum dilecta cadavera nomen.

At postquam legem sectator idoneus hausit,
Ut se mortali cœlestis spiritus aula
Exueret, legi intentum quo cuncta doceres

D Pro summo toleranda Deo, recteque perennem
Contemptu mortis sibi quemque assumere vitam:
Sic completa ferens genitoris jussa, redisti
Ad summi secreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio succendere nubila cœlo.
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserandis auribus arceat,
Nec nova defunctos jam pridem jura tenerent:
Carceris inferni feralia, libera nobis,
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem,
His tantum clausis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant, vel quæ se credere fingant.

Sancte Deus, summique Dei venerabile pignus,

Ad cuius nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis alienaque pectora nactæ,
Exclamant, pallentque animæ, jussæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produunt,
Cum terram cœlumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.

A At nunc tu Dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem quæ lex tibi condita sancit:
Victorem lætumque pares mihi Constantinum:
Hoc melius fetu, terris nihil ante dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem!

CELSI

IN ALTERCATIONEM JASONIS ET PAPISCI

PRÆFATIO

DE JUDAICA INCREDULITATE, AD VIGILIUM EPISCOPUM.

I. Etsi plurimos gentiliū scio, Vigili sanctis-
sime, ab ordine atque ratione veritatis aversos, quo-
minus Dominum noscant, cæcitate mentis errare;
tamen magis Judaicæ plebis insaniam novi adversus
nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis,
ingenita et patrum iniquitate perstare; aversan-
tes veram salutem, nec inquirentes vitæ æternæ da-
torem: ut qui delictis stirpis antiquæ sunt pari me-
rito nequitæ genitalis obnoxii, saltem vel sero cre-
dentes possint conversi ad Domini timorem sa-
tisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari.
Sed perstat et durat adhuc, et semper, puto, du-
rabit ad usque progeniem succidaneam innata patrum
irreligiosa perfidia; quæ adversus odium noninis
Domini incredulitatis insania roborata, nec ad
agnoscendam veritatem potest corrigi, nec ad ti-
morem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. Cum
autem doceat Dominus et ostendat, dicens (*Joan.*,
viii, 12): *Ego sum lumen sæculi: qui me secutus fue-
rit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ:*
quæ, malum, ratio est, ostensum divinitus vitæ
lumen omittere, et mentis cæcitate malle tenebras
mortis eligere, ut ostendat damnationis suæ propriæ
voluntatis libera et illicita perditione, contra Deum
etiam illa nolle quæ prosunt? Secundum quod et

B per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod
colligi noluerit, Deo illam volente colligere, loquitur
Spiritus sanctus, et bonitatem Dei manifestat pecca-
toribus subvenire jugiter velle (*Matth.*, xxii, 37): *Hie-
rusalem, Hierusalem quæ interficis prophetas et lapidas
eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos,
sicut gallina colligit filios suos sub axillas, et noluisti?*
Adeo Dei voce manifeste perfidi populi contuma-
cia denotatur, ut etiam salutem propriam suam sem-
per adversus clementem misericordiam Domini spre-
visse doceatur. Inde Propheta benevolentiam Dei,
exhortatione prædicationis offerens et insinuans,
proclamat et suadet, dicens (*Malach.* iii, 7): *Reverti-
mini ad me, et ego revertar ad vos, dicit Dominus.*
C Alius quoque similiter misericordiam Domini sem-
piternam manere demonstrans, addidit dicens (*Ezech.*,
xxxiii, 11): *Nolo mortem morientis, quantum ut rever-
tatur et vivat, dicit Dominus.*

II. Quid est ergo reverti ad Dominum, quam in
Christum credendo, per eum qui est via veniendi ad
patrem, Deo reconciliatum posse salvari? Quomodo
autem reverti ad Deum possunt, qui ei per quem est
aguitio et reversio ad Deum, voluntatem Dei prædi-
canti credere noluerunt? Aut quomodo Deum satis-
factione aliqua placare potuerint, qui eum qui est

ANNOTATIONES.

Etsi plurimos. Ante hæc verba legitur in cod. D
Colbertino 1453: *Cyprianus Vigilio fratri salutem.*
Tamen. Tunc in omnibus codd. mss. Paulo
ante editi habent *aversos*.

Aversantes. Sic omnes codices mss. et paulo post
inquirentes: editi *aversantis* et *inquirentis*. Paulo ante
conjunctionem et addidi ante patrum ex cod.
Remigiano.

Satisfactio. Remig., *Unanimoda satisfactioe pœ-
nitentiæ.*

Puto, durabit. Has voces addidimus ex cod.
Rem.

Insania. Sic duo codices mss.; editi, *insania*. Sic
etiam ad agnoscendam in duobus codicibus mss.; nos-
dam editi.

Quæ, malum, ratio est. Aliter in duobus antiquis
codicibus: *Hæc* (id est, Judæa) *maluit ratione osten-
sum divinitus lumen omittere, et mentis cæcitate alere*

D *et tenebras mortis eligere, etc.*

Libera et illicita perditione. Sic quatuor codices
mss.; editi, *liberam, etc.*

Quæ prosunt. Aliter unus cod. ms., *quæ possunt.*
Deo illam. Sic quatuor codices mss.; editi, *Domino.*

Manifeste. Sic codd. tres melioris notæ: editi,
manifesta.

Inde Propheta. Emendavimus auctoritate trium
codd. mss. quod mendose antea legebatur; *Propheta*
item alius benevolentiam Dei exhortatione offerens, præ-
dicatione insinuans.

Alius quoque. Sic tres codices mss.; editi, *alias*
quoque similiter misericordiam suam Deus: unus codex
ms., *per alium.*

Ad Dominum. Has voces addidi ex cod. Remig.
et paulo post aliqua ante placare.

Potuerint. Sic codex Remig.; editi, *potuerunt;*
unus cod. ms., *poterunt.*